

- 2) Quod viuos pro precibus nobiscum coniungendis precari possumus, constat et praeepto diuino et exemplis innumeris. At, quoad mortuos, eius rei nullum comparet vestigium.

*De humatione corporis.*

§. 12. *Corpus vero hominis post mortem superstes honeste terrae mandandum est. Nec enim perinde est, qua tractetur ratione. Nonnulli corpora demortuorum combusserunt, alii in fluuios praecipitarunt, alii canibus et feris proiecerunt, alii deuorarunt. Qui sunt modi ab omni humanitate alieni et crudeles. Praeepto itaque diuino teneri nos sciendum est, vt ea humemus seu terra cooperiamus. Probatur*

- I. *A praeepto diuino, terra es, et in terram reuerteteris, Gen. III, 19. quod ordinariam sepulturam vrget.*
- II. *Ab exemplo fidelium V. Nouique T. qui nunquam combusti, sed semper sepulti sunt et terrae honeste mandati.*
- III. *Ab ipso naturae instinctu, qui sepulturam, prae aliis modis omnibus homines mortuos tractandi, commendat.*

*Resurrectio corporum prob.*

§. 13. *Resurgent autem demortuorum corpora in extremo die, et cum animabus iterum iungentur. Probatur*

- I. *Ex clarissima Scripturae littera V. et N. T. Dan. XII, 1. 2. Es. XXVI, 19. Ezech. XXXVII, 5. 6. Iob. XIX, 25. Io. VI, 40.*

II. *Exem-*